

quid rei dat esse intrinsecè, illud rem constituit intrinsecè. Causæ internæ rei dant esse intrinsecè, E. causæ internæ rem constituunt intrinsecè. Quicquid rei dat esse extrinsecè, illud rem constituit extrinsecè. Causæ externæ rei dant esse extrinsecè, E. causæ externæ rem constituunt extrinsecè. Quomodo E. finis dat esse rei, eodem etiam modo constituit rem.

SECTIO SECUNDA

tradens

Confectaria Causarum Corporis

Naturalis in genere

quorum

Primum

ita habet

Antiqvorum de Principiis Sententia in totum rejicienda non est.

Cum scripta antiqvorum perierint, de sententiâ istorum circa principia alii aliter sentiunt. Ex Aristotale vulgò hæc ipsorū de principiis refertur sententia: Principia vel sunt unū, vel plura, vel partim unum, partim plura. Unum vel est infinitum, vel finitum. Infinitum vel mobile, ut Anaximandro, vel immobile, ut Melisso. Finitum itidem vel mobile, vel immobile. Mobile Heraclito, Thaleti Milesio, Diogeni, Hesiodo, Anaximandro, Zenoni & aliis. Heraclito principium est ignis, Thaleti Milesio aqua, Diogeni aër, Hesiodo terra, Anaximandro, Vapor, & Zenoni ignis. Immobile Parmenidi, nec infinitum, nec finitum Xenophonti. Plura verò vel numero finita, vel numero infinita sunt. Finita vel duo, vel tria, vel quatuor, vel plura. Duo Parmenidi ac Boëthio, Parmenidi ignis & terra: Boëthio ignis & aër. Tria Platoni, magnum, parvum & unum, seu, DEUS, idea, Materia. Quatuor Empedocli, ignis, aër, aqua & Terra, in quibus lis sit & amicitia. Plura Pythagoræ, decem, contrarietates primæ, fini-